



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 8

Nowo-Łacin. Liter.-

937./I

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

MISCELLANEARUM Exercitationum
DECAS TERTIA.


Universam Philosophiæ moralis generalem Partem, qvæ Ethice vocatur, exhibens. Materias ejus ê liqvidis fundamentis deducens, & obstantia debitis resolutionibus infringens.

Disputatoriis Gymnasmatibus in Gymnasio Dantiscano decursa.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,
Philosophiæ Professore Publico.

Ad Amplissimum Senatum Thoruniensem perscripta.



Gedani. GEORGIO RHETIO, Reipub. & Gymnasii Typographo Ordinario exscripta. Anno 1638.

Add. 24

Nobilissimo & perquàm Magnifico

Senatui Thoruniensi.

Dnn. Patronis, Mæcenatibus, ac Fautoribus observanter colendis

Salutem & prosperitatem.

HVmana vivendi ratio, *Nobilissime & perquàm Magnifice Senatus, Domini & Patroni observandissimi*, quà maximè liberali est digna, duobus potissimùm momentis constare deprehenditur. *Sciendo, & agendo. Illud* inscitiæ rubiginem animo detergit, paratq; ad majora. Eo splendore ad ultimum afficit, ut præluceat sibi ad nanciscendum primi Opificis similitudinem. *Hoc* morum protervitatem edomat: culturamq; actionibus ministrat, Caventem, ne qvid in illis desit, ne qvid supersit. Ingens animi est perfectio, novisse abstrusa: lustrare Naturæ plagas; & qvà se vivendam exhibet, & qvà in recessus occulitur. Totumq; Vniversum, qvaqvaversùm patet, meditatis percurrere. Sed nec hic subsistere: quin altius qviddam menti, velut mortali contagione prorsùs secretæ, permittere, ac capacitate ejus, qvidqvid extra Vniversum patet, pervagari. Oculis non contentum majus qvid pulchriusq; suspicari, qvod extra conspectum Natura abdiderit. In cœlum cogitata projicere: Dei naturam discutere: &, qvid operetur, indagare. Totusnè in se intendat: an ad nos qvandoq; respiciat? Agatnè quotidiè aliquid, an fecerit: & æternæ qvietis delitiis in seipso perfundatur? Liceatnè hodiè illi de novo aliquid decernere, & ex lege fatorum qvidquã

 deroga-

derogare? An majestatis sit deminutio, mutanda fecisse? Cum eadem ei placere necessum sit, Cui, nisi optima, placere non possunt. Hæc mens nostra, ut sibi convenientia, persequi adlaborat. Quippe illud argumentum divinitatis suæ habet, qvòd eam divina oblectent: nec illis, ut alienis, sed ut suis, interesse desideret. Si tamen calculum benè exputamus, haud inferius ornamentum menti suppeditet, qvod *agendo* conciliatur. *Scientia sine caritate inflat: sine conscientiâ damnat.* Vertenda sunt verba in opera: & sale conscientiæ conspergenda scientia. Parum est, novisse plurima; nisi & noverimus salutaria. Et hæc parum est novisse, nisi exhibeamus rebus & opere. Vectorem in navi nemo ferat, Nautas identidem inclamantem, & monentem, aut culpantem: Si ipse imperitissimus agendi nec clavo manum, nec remo, admovere sciat. Ita importuna & molesta plerumq; vascula ista inania, qvæ plurimùm tinniũt, & liquoris minimum aut habent, aut fundunt. Duplici mentis nostræ defectui duplicem Medicinam Philosophia ferre meditatur. Ignorantiæ scientiâ & contemplatione succurrit: Morum scœvitati prudentiis, ut vocant, practicis & activis. Hic agere Philosophia reqvirit, non dicere, aut novisse. Astringit præceptis: succurrit consiliis. Verba rebus probanda sunt. Experimentum profectûs capiendum non Oratione, nec scripto: sed animi firmitate, & cupiditatum deminutione. Hoc exigitur, ut ad legem qvisq; suã vivat: Ne orationi vita dissentiat; sed unius, sine actorùm dissensione, inter se coloris evadat. Maximum est sapientiæ & officium, & judicium, verbis opera consentientia expedire, & ubiq; parem sibi hominem eundemq;

demq; esse. Id, ut diffiile sit, paucisq; contingat: quibusdam tamen præstitisse licuerit. Quanquam non perpetuò uno eodemq; gradu proceditur: sed viâ. Observandum sedulò, num vestis domusq; dissentiant? Num amiciaris sordidè, ædifices luxuriosè? Liberalis in alios & profusus sis: In tuos avarus ac deparcus? Prendenda est semel firmiterq; regula, ad qvam omnem vitam exæqvemus. Multi se domi continentes præstant: foris dilatant & extendunt. Aliqvi proponunt sibi, quid velint: nec si proposuerunt, perseverant in eo, sed transiliunt. Nec tantùm mutāt, sed redeunt: sed in ea, qvæ deseruerunt, reflectunt. Paucis semper idem placet, qvod rectum. Ambiguum multis, qvid velint: nisi illo momento, qvo volunt. Velle aut nolle rarò in totum decretum est. Variatur qvotidiè judiciū, & in contrariū convertitur. Vitio affinis est hæc diversitas: & signum vacillantis animi, nondumq; tenorem suum nacti. Elaborandum est, ut constemus: urgenda sunt, quæ cœpimus. Perducemus fortasse vel ad fastigium, qvò destinamus: vel eò, qvod summum nondum esse pauci intelligimus. Ita non dicentur tantùm honesta; Sed probabuntur: Nec Præceptores boni erimus, aut discipuli; sed testes. Contempta vilisq; res homo apparet, nisi supra humana animo se erexerit: Nisi superior seipso evaserit: Nisi deterioribus dissimilis qvotidiè surrexerit. Vt vitia non effugere solùm didicerit, sed calcare: projectoq; universo malo dignum se exhibuerit, qvi divorum socictur consortio. Vt divitum pavimenta ridere noverit, & porticus, ac lacunaria ebore fulgentia contemnere: tonsilesq; sylvas, & deducta in domos flumina rejicere. Vt totum hunc mundum

velut

velut ſupernè deſpiciens, anguſtum ſqvalidumq́; æſtimet, punctiq́; inſtar, qvod inter tot gentes ferro igneq́; dividimus. In qvo navigamus: In qvo commercia exercemus, In qvo militamus. Vbi exercitus ſubrectis euntes vexillis mittimus: & equitem ulteriora exploraturum ablegamus. Omnia hæc deſpicere, ut aliena, diſcendum eſt: Vt contenti nobismetipſis, & ex nobis naſcenti⁹ bonis, vivamus. Ita probè agendo DEO ſimiles evademus, qvô major felicitas evenire non poteſt. Divitias etiam in ſinu poſitas reſpuere poterimus: & circumfuſas nobis mirati, qvòd ad nos venerint, ridere, noſtrasq́; eſſe audire magis, quàm ſentire. Ita nec *avaritia* nos premet, qvidqvid omnib⁹ eripuit, ſibi ipſi negans: Nec *luxuria* diffundet, pecunias inutiliter prodigens, qvas turpiùs reparet: Nec *invidia* coqvet, alienis ſemper magis intenta, qvàm ſuis: Nec *ambitio* diſtendet, ad dignitates, niſi per indigna, non ducens: Nec *libidines* exurent, nunqvam tantæ voluptatis, ut non aſſiduitate ſui faſtidium pariant. Non *iracundiâ* turgeſcemus, cujus in præcipitium curſus deducit: Non *fronte fictâ* incedemus, & in alienam voluntatem ſermone compoſito utemur, qvod cor involutum facit, & ab alienis ſemper ſuſpenſum animum. Nihil deniq́; eorum committemus, qvorum neceſſe eſt, aut pudorem, aut pœnitentiam ſuccedere. Hæc vera hominis erunt ornamenta: In his præcipuè poſt rerum ſcientiam elaborandum. Præcipit hæc & ſimilia ea Philoſophiæ Practicæ ſeu activæ pars, quam generalem, ac ſpeciali voce Ethicam vocare voluit Philoſophantium conſenſus. Ea mores componit, & falcem admovet, qvà reſecentur indecora vitæ. Digeſſi illam, qvantum fieri licuit, hac decade; ac pro uſibus

ſibus

ſibus diſcentium exercitationibus hiſce complanavi. Illas Ampliſſimi Nominis Tui, NOBILISSIME ET PERQVAM MAGNIFICE SENATVS, patrocinio devotus obſervansq; ſubmitto. Vt facerem, plura impulerunt. Favor in litteras, ſplendor Vrbis, communio regionis & patriæ, Notitia qvorundam ex ſublimi TVO ORDINE, in Academiâ Lipſiacâ qvondã contracta, Quos inter inprimis Magnificum Virum, Dn. Ioannem Preusſium, Regium Burggrabium Eminentiſſimum, ſummi honoris ergò nomino, ſimiliaqvè, occaſionem faciendi, commodârunt. Suſcipere dignamini, Magnifici Mæcenates, & Patroni obſervandiſſimi, partum qvalemcunqve: Cordubæ faciliùs fortaſſis, qvàm Athenis elaboratum. Impar Amplitudini Veſtræ laborum ſpecimen eſt: Sed qvô majus, qvo Affectum veſtrum veneratus agnoſcerem, non ſuppetebat. Argumentum tractationis pingi dignum eſt: ſed peritiorem Apellis manum requirat, qvàm meam eſſe intelligam. Qualecunq; ſit, Veritati, qvam ſecutum me ſpero, aſſecutum opto, patrocinium in virulento, qvo vivitur, ſeculo, non negaviſſe, decorum erit. Id Vos, *Nobiliſſimi Proceres*, facturos confido: Et, ut faciatis, devotè oro. DEVS, ſupremus terrarum Antiſtes, MM. VV. AA. & DD. cum univerſâ Republicâ inter decumanos vitæ fluctus diu florentes vigentesq; conſervet, nec unquàm patrocinio ſuo deſtitutas poſthabeat. Gedani. Ex Gymnaſio Reipublicæ. 7. Idus Majas. ANNO M Iↄ C XXXVIII.

Nobiliſſimi & perquàm Magnifici
Nominis Veſtri

Obſervantiſſimus
HENRICUS NICOLAI,
Phil. Prof. Publicus.

Syllabus disputationum contentarum.

Elenchus præcipuorum erratorum in disputationibus occurrentium.

Pag. 7. lineâ 22. lege, Objectis. p: 11. l. 3. peculiaris. p. 19. l. 7. nostro. p. 24, l. 27. introduci. l. 28. humana. p. 38. l. 10. comuniter. p. 40. l. 27. Jurisprudentiæ. p. 41. l. 25. practicis. p. 53. l. 7. appetitui. p: 65. l. 23. qvod. p. 67. lin. 22. furtiva. p. 68. l. 28. Aristidæ. p. 83. l. 13. saxis. p: 85. l. 17 Gallos. p 88. l. 11. legitimum. p. 102. l. 3. mediocritatem. l. penul. à dirigente. p. 104. l. 26. practicæ. p: 109. l. 5. cum. p: 110. l. 6. pro 18. fac 19. p. 112. l. 25. 26. evertitur. l. penult. dele, agetur. p: 139. l. 20. §. 41. p. 154 l. 12. affectu. l. 20. reprehensus. p. 158. l. 5. ultimate. p. 164. l. 9 feramus. p. 167. l 22 Excessus. p: 168. l. 23. Labefactatio. pag: 199. l. 7. circa. p. 201. l. 21. transcendit. p. 208. li. ult. inutiliter. p. 209. l. 26. Inhumanitas. p. 211. l. 24. præmium p. 220. l. 5. fastus p. 225. l. 8. dignum. p. 229. l. 19. Jussit l. 23. Camerarius. p. 233. l. 17. εὐ|ϱαπελίας. p. 236, l. ult. intentione. p. 244. l. 28. aliiq;. p. 245. l. 10. hæc p. 250. l. 9. dicendi. p. 252. l. 11. occurentia. p. 256. l. 17. Definitio. l. ult. Temperantia inter intemperantiam. p. 275. l. 11. qvantum. p. 283. l. 14. facinorosorum. p. 285. l. 11. contenta. l. 18. distinguens. p. 316. l. 14. eminentiore. 322. l. 29. relinquant. p. 323. l. 12. heroum. p. 324. l. 4. differre. l. 14. fortitudo. p. 327. l. 7. H. e. p. 331. l. ult. qvædam. p. 335. l. 28. Aristotelem. p. 338. l. 25. difficilimum. p. 340. l. 16. communius. 343. l. 13. senectus. l. 15. annis. p. 354. l. 24. perficiunt. p. 355. l. 3. amicitiæ. p. 357. numerum paginæ corrige, pro 237. fac 357. p. 359 l. 7. cognationes.

Cœtera lector beneuolus per se corriget.

